

racitas litigantium, ac evitatio calumniæ in judiciis: ex fine autem suo primario attendenda est quælibet dispositio, c. *Accessorium. de Reg. juris*, in 6, cum concordantiis. Unde si secus fiat, id non nisi propriæ perjurantiæ perversitatis tribuendum erit: quæ si deprehendatur, merito postea in foro etiam externo punitur; sin minus, divino judicio puniendi relinquitur. Alioquin certe ob simile periculum perjurii, per malignos nonnunquam committendi, omne prorsus juramentum in judiciis cessare deberet: quod est contra aperta jura, et generalem totius orbis consuetudinem.

26. *Juramentum calumniæ est præstandum per actorem et reum, prius tamen per actorem.* — Quæritur III. A quibus sit præstandum juramentum calumniæ? Resp. I. Juramentum calumniæ cumprimis regulariter præstandum est per ipsas personas principales, nempe per actorem et reum, prius tamen per actorem. Ita communis; et patet ex l. II, juncta Glossa, §. *Et actor. C. de Jurejurand. propt. calumn.*, et Auth. *Principales. C. eod.*, ubi expresse jubentur principales personæ jurare de calumnia. Quia vero actor provocavit ad iudicium, merito is primo loco tenetur jurare, ac postea primum reus.

27. *Dantur tamen nonnulli casus, in quibus non tenentur jurare de calumnia.* — Additur notanter, « regulariter præstandum est per personas principales. » Dantur enim nonnulli casus, in quibus data conclusio, ac regula fallit; adeo, ut etiam principales personæ, videlicet actor et reus, non teneantur jurare de calumnia, arg. cap. ult. §. fin. h. t. Ubi statuitur pœna recusantis præstare juramentum calumniæ, sed cum addito, « cum præstandum fuerit: » sicque innuitur dari casus aliquos, in quibus illud præstare quis non cogitur. Id ipsum clarius habetur in l. *Qui bona fide. §. Si alieno, ff. de Damno infecto*; ac probatur inductione.

28. *Et qui sint illi casus?* — Sic quippe antiquitus in causis mere spiritualibus, personæ principales non tenebantur jurare de calumnia; quamvis postea aliter fuerit ordinatum, juxta dicta n. 23. Deinde data regula, et conclusio fallit in parentibus, et patronis, quando in casibus permissis litigant in iudicio cum propriis liberis, vel libertis: tunc enim ob reverentiam talibus personis debitam, utpote de quibus non licet liberis, aut libertis suspicari, quod quidquam animo calumniandi sint attentaturæ, de jure juramentum calumniæ

remissum est, l. *Si patronus, ff. de Jurejurand.*, et l. *Licet, ff. de Obsequiis a libertis et c.* ac cit. l. *Qui bona fide. §. Si alieno, ff. de Damno infecto.*

29. *Et qui sint illi casus?* — Insuper fallit regula illa in pupillis, et aliis, quorum nomine agunt tutores, syndici, aut alii, rerum suarum generalem administrationem habentes. Tunc enim non pupilli, aliæve personæ principales, sed solum tutores, curatores, aut generales illi administratores, jurant in animam suam (cum meliorem rerum a se administratarum notitiam habeant), et non in animam pupilli, etc., ut amplius dicitur n. 43 et 44.

30. *Princeps potest per rescriptum tollere juramentum calumniæ.* — Fallit ulterius data regula, quando princeps supremus per rescriptum tollit juramentum calumniæ. Nam quia præstatio dicti juramenti, est juris dumtaxat positivi humani, posse illud tolli, sive remitti per rescriptum principis, clare desumitur ex C. *Proposuit. 4; de Concess. præbend.*, et l. *Princeps, ff. de Legib.*, ac notat Abbas in c. *Cæterum, n. 10, h. t.*, et Gailus lib. I *Prætic.* observat. 83, n. 7, allegans communem. Fallit tandem eadem regula, quando juramentum calumniæ tacite a partibus est remissum, juxta dicenda §. seq. n. 48.

31. *Etiam hæredes, alique successores, in quos transivit instantia, tenentur jurare de calumnia.* — Resp. II. Etiam hæredes, alique successores principalium personarum, in quos nimirum transivit instantia, seu jus causæ principalis, tenentur jurare de calumnia; non obstante, quod defunctus, aut prædecessor, tale juramentum jam præstiterit. Ita textus, et Glossa §. *Migraverit*; in Auth. *Principales. C. de Jurejurand. propter calumn.* Speculator tit. *de Juramento calumniæ. §. Sequitur*, n. 7, et alii. Accedit ratio, tum quia facile accidere potest, ut defunctus, sive antecessor, habuerit bonam fidem: hæres autem, vel successor ob majorem negotii cognitionem non item; tum quia juramentum hoc est quid personale, neque transit de una persona ad aliam; sicque juramentum defuncti, vel antecessoris, non stringit hæredem sive successorem.

32. *In jure censetur una esse persona hæredis, et defuncti; et qualiter?* — Nec obstat, quod in jure censetur esse una persona hæredis, ac defuncti, Auth. *de Jurejurando a moriente præstito*, etc., §. 1, collat. 5. Resp. enim, hoc verum esse dumtaxat fictione juris: ac proinde conformiter dictis lib. I, tit. II,

§ 8, n. 193, et seqq. non procedit, nisi in casibus a jure expressis. Atque inter hos est ille, de quo fit mentio in cit. Auth., si videlicet moriens præstitit juramentum, in quo mensuram suæ facit substantiæ manifestam: unde tali juramento hæredes substantiam dividendes (non item creditores, quibus exinde nullum generatur præjudicium) necessario stare tenentur. « Cum utique nostris (inquit imperator ibidem) videatur legibus unam quodammodo esse personam hæredis, et ejus qui in eum transmittit hæreditatem: » nullus autem sibi reluctari, sive contradicere censetur. Secus est in aliis casibus a jure non expressis, ac præsertim in juramento calumniæ, quod non transgreditur personam: nam in veritate rei hæres, atque defunctus sunt duæ personæ, habentque duas animas. Glossa marginalis ad cap. II, h. t. in 6.

33. *Tutores, et curatores, et generales rerum administratores, non autem pupilli, etc., jurant de calumnia, et quidem in animam suam.* — Resp. III. Insuper jurant de calumnia, et quidem in animam suam, tutores, curatores alique generalem rerum alienarum administrationem legitima auctoritate gerentes; ut puta administratores xenodochiorum, rectores civitatum, prælati ecclesiarum, ac syndici generaliter quoad omnes causas collegiorum, aut universitatum constituti. Ita Speculator tit. *de Juramento calumniæ. §. Restat*, n. 15. Abbas c. *In pertractandis*, n. 4, h. t. Vallensis eod. §. 2, n. 3, et alii. Idque desumitur tum ex l. 2. §. *Quod observari. C. de Jurejur. propt. calumn.*, tum ex c. *Imperatorum*; et c. *In pertractandis*, h. t. In quo postremo loco etiam indicatur hujus ratio: quia videlicet ille debet jurare de calumnia in animam suam, « qui causam omnino non nescit; » hoc est, non ignorat, imo melius præ aliis novit: atqui tales personæ generalem rerum administrationem gerentes, melius noverunt causas rerum sibi commissarum, quam pupilli v. g. aut singuli de collegio, vel universitate; ergo illæ tenentur jurare de calumnia, et quidem in animam suam, non vero in animam sui pupilli, nec in animas singulorum, qui sunt de tali collegio, vel universitate.

34. *Dummodo melius noverint causas rerum sibi commissarum.* — Intellige, dummodo administratores illi melius noverint causas rerum sibi commissarum: alioquin enim secus foret dicendum. Ut accidit in casu, quo quis primum acquisivit generalem rerum alienarum administrationem, sicque debitam causæ

notitiam nondum habet; ac proinde nec jurare de calumnia in animam suam compellendus est, prout limitat Abbas loc. cit., n. 2 et 4. Favet hoc ipsum textus in d. c. *In pertractandis*, h. t. ubi juramentum calumniæ dicitur deferendum vel œconomis, vel ipsis personis principalibus, inspecta qualitate causæ, vel personarum, « quæ causam omnino non nesciant, » id est, non ignorent: tales enim solummodo jurare possunt in animam suam, ac juxta propriam conscientiam.

35. *Potest juramentum calumniæ per procuratorem præstari.* — Quæritur IV. An juramentum calumniæ possit præstari per procuratorem, et qualiter? Resp. I. Possunt personæ principales non solum per semetipsas, sed etiam per procuratorem a se substitutum præstare juramentum calumniæ: dummodo hic speciale ab eis super hoc mandatum acceperit. Ita communis; et patet ex cap. ult. h. t. in 6, licet olim de hoc fuerit magnum inter doctores dubium: eo quod antiquitus solummodo episcopis fuerit permissum, jurare per alium, ut cap. ult. h. t. Atque etiam clericis, sed dumtaxat in causis sive Ecclesiæ, ut cap. I eod. Verum de facto data conclusio est certa, ob claram juris decisionem jam allegatam.

36. *Solvitur instantia.* — Nec dicas: Ergo citatum cap. I, et cap. ult. h. t. superfluum; cum nihil speciale juris tribuant episcopis, et clericis, concedendo ipsis, quod possint jurare de calumnia per alium: hoc quippe de facto generaliter concessum omnibus. Resp. enim neg. sequel. Quia præter alias utilitates, quas afferunt, ambo illa capitula saltem inserviebant specialiter clericis secundum antiqua tempora, ubi adhuc de nostra conclusione dubitabatur; licet non amplius de facto ipsis specialiter deserviant. Abbas cap. I. n. 15 h. t.

37. *Procurator jurans in animam principalis, vel in animam suam, quomodo debeat verba concipere?* — Cæterum procurator habens speciale jurandi mandatum, debet concipere verba in personam principalis, sicque in animam ejus jurare: unde ipsemet dominus videtur jurare, atque per os procuratoris veluti per organum loqui, ex quo dedit ipsi speciale mandatum in tali causa jurandi suo nomine, atque in animam suam. Abbas c. *In pertractandis*, n. 5, h. t. Quod si vero quis juret in animam suam, tunc debet concipere verba in propriam personam, sicque semetipsum jurando obligare: qua ratione tum

actor ac reus, tum tutores pupillorum, ac nonnulli alii jurare de calumnia tenentur; atque formulam dicti juramenti refert Speculator tit. *de Juramento calumniæ*. § *Nunc dicamus*, per totum.

38. *Requiritur ad id mandatum speciale principalis, jurandi in tali causa.* — Additur notanter n. 35: « dummodo speciale super hoc mandatum acceperit. » Siquidem in procuratore particulariter deputato ad hoc, ut possit jurare de calumnia in animam sui principalis, non sufficit mandatum generale ad agendas omnes causas ejus, neque etiam mandatum generale jurandi de calumnia in quacumque causa; sed requiritur mandatum speciale jurandi in tali causa, quæ expressa est, atque exprimi debet a principali. Abbas in cit. c. *In pertractandis*, n. 5, h. t. et Glossa cap. ult. in casu h. t. in 6. Et ratio est, quia procurator dumtaxat generaliter constitutus, non est instructus specialiter in qualibet causa: ac proinde is in aliqua causa male jurans in animam sui principalis, non obligaret ipsum principalem ad perjurium; nam in generali mandato non venit delictum, l. *Si procurator*, juncta Glossa, §. *Quoniam nihil*, ff. *de Condictio. indebit*.

39. *Dummodo principalis non longe sit absens, puta, ultra mare.* — Limitat hoc ultimum Bartolus in l. II. § *Sin autem*. C. *de Jurejur. propt. calumn.*, ac post ipsum Abbas, c. *Cæterum*. n. 7. h. t. in casu, quo principalis est longe absens; puta, ultra mare, aut in longinqua peregrinatione, ita ut in brevi haberi non possit. Quia tunc (inquiunt) admitteatur procurator jam ante litem contestatam generaliter constitutus; cum non sit, quid imputetur domino principali, eo quod ante suum discessum ignoraverit, litem contra se forte movendam, sique nequiverit suo procuratori dare mandatum speciale in tali causa jurandi de calumnia in animam suam: simulque ratione absentiae multa permittantur; ut cap. ult. *de Sepultur.*, in 6, et c. *Si episcopus. de Supplend. neglig. prælat.* in 6, et l. *Si longius*, ff. *de Judicis*, cum similibus. Quidquid contradicat Glossa c. *Cæterum*. §. *Ab utraque*. h. t. volens, in tali casu dandum esse curatorem bonis, qui postmodum jurabit de calumnia, arg. l. I. et II. ff. *de Curator. bonis dand.*, cujus opinionem ex professo, ac fusius, rejicit Abbas cit. n. 7.

40. *Procurator ejusmodi duplex calumniæ juramentum deponere debet; et quale?* — Atque ulterius loquendo de tali procuratore

particulari, et habente speciale mandatum ad jurandum de calumnia, est notandum cum Glossa in cap. II. §. *Ab ipsis*. h. t. in 6; et Viviano ibid. §. *Procurator*; Pirhing h. t. n. 12, ac aliis, quod talis debeat duplex quodammodo calumniæ juramentum deponere. Unum quidem in animam sui principalis, utpote ex cujus mandato speciali, ac nomine jurat: alterum vero in animam propriam, et nomine suo, quod nimirum et ipse velit calumniam evitare, simulque credat sese fovere causam justam. Et hoc clare desumitur ex cit. cap. II. §. *Procuratores*. h. t. in 6, ubi procuratores deputati post præstitum jam semel, sive a personis principalibus, sive ad alio priori procuratore juramentum calumniæ (naud obstante, quod alioquin istud juramentum semel præstare sufficiat, Auth. *In isto juramento*, c. eod.), etiam ipsi iurare iurantur, ut calumnia evitetur ab ipsis. Idque merito: non enim est infrequens, quod procurator habeat meliorem notitiam causæ, citiusque deprehendat ejus injustitiam, quam dominus principalis: simulque melius quandoque procuratores norunt modum calumniandi, quam principales. Unde ut et ipsi quoad propriam personam evitare calumniam, sub perjurii reatu cæteroquin incurrendo, sollicitius curent, merito in animam suam jurare coguntur: quamvis ad hoc alterum juramentum non requiratur speciale mandatum domini principalis. Glossa et Vivianus, ubi supra.

41. *Refertur, ac explicatur sententia asserentium, posse juramentum calumniæ præstari per procuratorem habentem generale dumtaxat mandatum.* — Atque conformiter proxime dictis videtur intelligenda sententia illorum, qui asserunt juramentum calumniæ posse præstari etiam per procuratorem habentem generale mandatum ad lites: pro qua sententia allegatur Speculator tit. *de Juramento calumniæ*. §. *Restat*. n. 13 et 14; Bartolus l. *Qui bona*. §. *Si alieno*. n. 17. ff. *de Damno infect.* eamque tenet Hercules Marescottus *Variar. resolut.* lib. I, cap. XLVII. n. 8, asserens, id observari de generali consuetudine. quidquid de rigore juris esset dicendum, prout attestatur (inquit) Mathesilanus *Singular.* 149. Siquidem isthæc sententia convenienter intelligi nequit, nisi de juramento calumniæ, quod procurator habens generale mandatum, tenetur præstare in animam suam: nam quia procurator per litem contestationem factus est dominus litis, cap. I. §. *Licet de procurat.* in 6.

hoc ipsis potest jurare de calumnia (sed in animam suam, veluti dominus litis) absque alio speciali mandato; prout argumentatur Speculator cit. n. 13, id probans ex cap. penult. *de Jurament. calumn.* Alioquin vero requiri speciale mandatum, ut procurator possit jurare in animam sui principalis, fatetur ipsemet Speculator loc. cit. juncto tit. *de Procuratore*. §. *Ratione autem formæ*, n. 23, et Bartolus, ubi supra. Qua ratione etiam intelligenda venit generalis consuetudo, de qua testantur præallegati auctores: quia enim per litem contestationem procurator effectus est dominus litis, ut dictum, hinc ejus juramentum de calumnia sufficere dignoscitur, generali consuetudine sic jura interpretante, quæ referuntur in c. *Cum causam*. 6. *de Jurament. calumn.*, et l. *Qui bona*. §. *Si alieno*. ff. *de Damno infect.*, ubi de solo juramento calumniæ procuratorum fit mentio.

42. *Procurator novus ab altero constitutus, etiam tenetur jurare de calumnia.* — Notandum vero est ob rationes n. 31 jam allatas, quod si post juramentum calumniæ a persona principali, puta ab actore, vel reo, aut a constituto per ipsam procuratore præstitum, constituatur novus procurator: etiam iste teneatur de calumnia jurare, non obstante prioris alterius juramento; ut nimirum etiam ab isto evitetur calumnia. Textus est in cap. II. §. *Procurator*. h. t. in 6.

43. *Et quid de advocatis, seu patronis causarum.* — Porro quæ nunc dicta sunt de procuratoribus particularibus, spectato juris rigore, etiam procedunt de advocatis, seu patronis causarum (alioquin enim procurator ad lites, differt ab avvocato, juxta dicta lib. I. tit. XXXVIII, *de Procuratoribus*, n. 7, et seqq.) ut proinde etiam advocati, quantum est de jure communi, jurare debeant de calumnia ab ipsis vitanda, l. II. §. 1. C. *de Jurejur. propt. calumn.*, et l. *Rem non novam*. §. *Patroni*, C. *de Judicis*. Quamvis Abbas in cap. I, n. 5. h. t., et Pirhing eod. n. 23, existiment, hoc de consuetudine moderna non observari (nisi forsitan advocati, simul sint etiam procuratores litis) eo quod ipsi, cum ad munus postulandi, sive advocandi admittantur, juramentum generale de vitandis calumniis, atque ad omnes causas extensum, emittant. Qua ratione etiam judex hodie non in singulas causas tenetur jurare de calumnia; sed sufficit, eum ab initio sui officii iurare, Auth. *Jusjurandum quod præstatur ab his*, etc., §. penult. collat. 2. Etsi olim secus fuisse, sa-

tis pateat ex cit. l. *Rem non novam*. §. 1. C. *de Judic.*

44. *Syndicus alicujus collegii, vel universitatis, jurat de calumnia absque alio speciali mandato.* — Resp. II. Licet simplex procurator, seu a particulari persona constitutus, non possit absque speciali mandato jurare de calumnia, juxta proxime dicta; secus tamen est dicendum de syndico, qui ad causas alicujus collegii, seu universitatis generaliter agendas, sive defendendas constitutus est; hic enim regulariter jurat in causa universitatis absque alio speciali mandato, eo quod melius sit informatus de factis universitatis, quam ipsa universitas, utpote carens sensu, vel singuli de universitate, utpote frequenter non adeo ad communia attendentes. Glossa in c. *Quia in causis*. §. *De jure communi*, et Abbas ibid. n. 2, *de Procurat.*, et idem Abbas in c. *Imperatorum*. n. 5, et c. *Cum in causa*. n. 10 h. t. Speculator cit. tit. *de Juramento calumniæ*. §. *Restat* n. 15. Atque præter rationem jam allegatam, desumitur istud ex c. *In pertractandis*, et c. *Imperatorum* h. t.

45. *Idemque dicendum de tutoribus, curatoribus, et aliis generalem rerum administrationem gerentibus.* — Et quod hic dicitur de syndico ad negotia universitatis generaliter constituto; pariter, atque ob eandem rationem, procedit in tutoribus, curatoribus, et aliis generalem rerum alienarum administrationem auctoritate legitima gerentibus: nam et hi, etiam absque alio speciali mandato, jurant de calumnia, et quidem in animam suam; quia tales generales administratores, etiamsi sub nomine procuratoris dati fuerint (non enim est vis in nomine, ut c. *Petitio*. 9, *de Procurat.*), melius possunt, ac præsumuntur scire justitiam causæ, quam pupillus, minor, vel alius habens ejusmodi procuratorem ad sua negotia generaliter constitutum. Textus est in l. II. §. *Quod observari*. C. *de Jurejurand. propt. calumn.*, et amplius declarat Bartolus ibid. cit. §. *Quod observari a princip.*, atque sequitur Abbas in c. *In pertractandis*. n. 1 et 4 h. t., et concordant dicta superius n. 33.

§ III.

DE REMISSIONE JURAMENTI CALUMNIÆ, POENISQUE ILLUD PRÆSTARE RECUSANTIUM.

46. *Juramentum calumniæ nequit de consensu partium expresse remitti.* — Quæritur I. An